



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. Incrementum, & decrementum depositi, cujus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Ubi de depositum confiscatum reddendum sit Fisco?

7. Dicitur est quartum (alterius fidei committitur) nam propterea, si depositum perit culpa depositarii, obligabitur is ad restituendum tantumdem.

8. Quod autem requiritur, ut videre est l. 8. in dec. r. 3. c. 5. §. 1. ad hanc obligationem inducendam culpa gravis, & quando hanc intervenisse judicandum sit, alibi diximus, ubi etiam notavimus, si casu res deposita pereat sine depositarii culpa, domino perire, quia sicuti domini est, sic Domino perit.

9. Quamvis autem tuæ fidei commissum sit depositum; docet nihilominus Navarrus, quem citat, sed non sequitur Bonac. de contr. d. 3. quæst. 14. p. 3. num. 7. cum Reginald. & Azor. aliisque, te debere depositum Fisco reddere si fortè illud fuerit legitime confiscatum, quia publicatis bonis alicujus, fisco competunt illa bona, quæ & deposita ubicumque inveniuntur. Verum, contrarium sustinet uterque Sæ Geminus, & Expurgatus, v. Depositum, n. 6. qui sic habet: Depositum dandum fisco, si ei omnia bona deponentis sunt adjudicata, ait Navarrus: Ego ei, qui deposuit, restituendum crediderim, quoad forum conscientie, nisi iudex prohibuisset. Hæc Sæ, quem citans sequitur Lessius loc. cit. d. 3. n. 4. addens posse etiam restitui Fisco, quia etiam ipse habet Ius rem illam confiscatam sibi vendicandi. Vide, quæ in hanc rem dixi, l. 2. in dec. cap. 1. §. 5. n. 21. & 22.

§. II. Quis Deponens, qui Depositarius esse possit?

1. Omnes ii ratione utentes, qui rei alicujus administrationem habent, eam rem deponere apud fidelem virum, immodè & apud infidelem, sed suo periculo, possunt. Res hæc majore non indiget explicatione. Lege Azor. p. 3. l. 7. c. 3. Omnes præterea (abstrahendo ab aliqua peculiari prohibitione) ratione utentes, etiam Pupilli, etiam Feminae, etiam Clerici, etiam Religiosi, sed hi cum licentia suorum Superiorum, possunt esse Depositarii. Modò notes, neque Ecclesiam, neque Monasterium ad quidquam obligari, si depositum (quamvis cum culpa depositarii Clerici, vel Religiosi) pereat, nisi quando ipsius Ecclesiæ, vel monasterii nomine acceptatum fuit depositum, quia ex culpa peculiaris Religiosi non obligatur Ecclesia, ut pluribus prosequitur Castropal. tom. 3. tr. 16. d. 3. p. 16. & ibid. disp. mor. cit. p. 13. §. 3. n. 6. aliique.

Duo selecta de religioso Depositario

2. Primum: Si Religiosus, v. g. Superior legitime, nomine Religionis, depositum suscipiat, illudque expendat pro ipso Monasterio, idque constet, poteritne Religio licite, & sine pœnarum timore, bonum stabile alienare, quando alia via non suppetit, ut sic depositum domino reddi possit?

3. Respondeo, posse docet Castropal. l. 3. tr. 16. disp. 4. p. 13. §. 4. n. 6. non solum in casu proposito, sed etiam si culpabiliter amissum fuit, licet non in utilitatem Monasterii expensum. Si plura velis illum lege.

4. Secundum: Si Religiosus depositum suscipiat, Superiore non consentiente, mortalitèr contra paupertatis votum peccat.

Respondeo, cum ea distinctione, quam rectè adhibet Idem ibid. d. 3. p. 21. n. 6. Si pecuniam, vel aliud quidvis (inquit) à seculari accipias in custodiam, excusaris à vitio Paupertatis. Et paulò post: Adverte tamen, supradictam depositionem non debere admitti, in vim depositi, sed solum in vim cujusdam familiaris custodiæ, alias peccaret Religiosus adversus Paupertatis votum, depositi, contractum celebrando: quia esse contractus nullus sit, nullamque obligationem Monasterio imponat: at velle, quantum est ex se, obligationem subire, & vim depositi deponenti concedere, Superiore inconsulto iniquum est. Hæc ibi. Quando ergo idem

ibid. d. 4. p. 13. §. 4. n. 3. citans Mol. d. 521. & Sanch. l. 1. c. 14. n. 27. docet Religiosum peccare, si depositum quædam materiam sine licentia acceptet, est intelligendum (scilicet contrarius) de deposito concedente Ius alteri ut possit stinxisimus.

5. Eodè modo intelligendum esse puto Delgado. d. 33. de Inst. sec. 1. n. 6. qui cum dixisset, Religiosum mandatum (hoc est, ut ego interpretor, incongrue, & quando loquimur de deposito in vim familiaris custodiæ, & quando de deposito sine prælati licentia, citanturque Mol. d. 525. modò citata, & Layman. l. 3. tr. 4. c. 24. n. 6. dicit: Non tamen credo, id esse contra votum Paupertatis, si fiat in mero deposito. Quod idem dixerat Delgado. d. 33. Inst. num. 150. ubi citaverat Tom. Sanch. l. 7. item. 4. n. 50. Nota enim illud (si fiat) id enim est periculis, ut dicat: Si fiat in mero deposito familiaris custodiæ, non transiunt ad dandum Ius deponenti.

6. Hæc absolute: Si enim in aliqua Religione sit acceptum sub mortali, de non recipiendo depositum, tunc servandum id esse, nullus dubitat.

§. III. Incrementum, & decrementum Depositarii

1. Ex dictis §. 1. duas enodabis difficultates, quarum alteram hic propono, alteram in præloquio sequenti: Titius deposuit centum aureos apud me, obsequium non petiit per annum. Interim eorum valor crevit, & iterum idem valor decrevit: inquit, cui crevit, cui decrevit? Ex una enim parte domino dicendum esset, ut sicuti domino perit, si ea peritura eidem crevit, decrevitque. Ex alia vero dicendum esset, perire depositum, quando deponuntur res, quæ functionem accipiunt, ut enim ex tacita licentia deponentis, sunt, ut modo diximus depositarii, & est perinde ac si mutuum illi daretur, cuius natura est, ut per illud transierat dominium in mutuatarium. Ergo ipsi potè domino, crevit valor, decrevitque. Consulto dixi (Res quæ functionem accipiunt) de his enim est locutio. Nam res, quæ functionem non habent, qualis est, v. g. equus, vas argenteum, &c. cum omnes scimus, eam similitudinem commodati accipiunt, vel decretere ipsi deponenti, utpotè Domino.

2. Respondeo, hic naviter expendendum esse: An depositarius res illas functionem habentes, & quibus datum aureos pro mutuo expressè, vel tacitè jam acceptatis, tuolve, saltem per eorum usum, effeceris, cum obligatione reddendi tantumdem. An vero depositum dicam pecuniam, ut depositam duntaxat habueris, cujus potioris modum signum inter cetera est, si illam obligatum in sacculo, vel clausam in arca per modum massæ repositi. Si prius, valor tibi crevit, tibi que eidem decrevit, quia incrementum, & decrementum est tui rei: & solum habes ipsum mutuum, ut supra, in tr. de mut. & inst. l. 1. explicuimus, mutuantem reddere. Si posterius crevit, decrevitque deponenti, quia donec depositum in aliam contraham transeat, & consequenter ante usum à te factum dictæ pecuniæ, vel certè ante acceptationem ipsius pecuniæ in mutuum, semper remanebit depositum, cuius natura est, rem esse domini deponentis, incrementumque vel decrementum ad ipsum pertinere. Ita tandem concludit Bonac. l. c. n. 4. fine, & ita etiam dicendum de fumento, v. g. deposito in tuo horreo, si illud crevit, &c.

§. IV. Præsumpta voluntas, in commutanda Depositi, quid operetur?

1. Altera difficultas sic proposita modè superius fuit: Antonius Faber lignarius deposuit apud Titium Mercatorem, in taberna ejusdem Titii extra urbem Mercatorem, in taberna abiegnas, quarum omnino similes sita, nulle tabulas abiegnas, quarum omnino similes sita, in bonitate idem Titius habebat in alia taberna extra Civitatem. Accidit autem, ut invento emptore, & Titius vendiderit mille prædictas tabulas: sed quia emptor iis juxta Civitatem ad fabricam domus sue rusticæ indiguit, Titius ei dedit Antonii tabulas, applicatque